

iisdem, sed virtute jam auctis, ac de duobus hemisphaeriis marmoreis porrò dicentur.

Causa 3. 4.  
& 5. Phæn.

**CONCLUSIO III.** Aërem intra vesicam flaccidam fortiter constrictam, posteaquam externus ambiens illum- que aliàs comprimens remotus fuerit, in spatium jam liberum liberè se expandere vi sui elateris, in auct. XIII. Part. I. p. III. fufius explicati, nimis jam notum est. Quod verò aqua stagnans in vasa evacuata per angustas fistulas cum impetu subsiliat, causa est externus aër aquam validissime premens, & internum vacuum aut nihil aut parum resistens. Neque tamen hoc Phænomenon magis repugnat Hydraulicorum recepto aliàs principio, (*quod aqua non ascendat altiùs quàm lapsa priùs fuerat, & pro fontibus salientibus, ex altiore loco, quàm quo posita sunt fontis epistomia, prolapsam esse oporteat*) quàm expultrices machinæ aliæ, quæ trudendo (die *Truckwercke* inde dictæ) aquas in sublime attollunt, hoc tamen cum discrimine, quòd in his & imis & supremis aquis aër extrinsecus liberè accedens utrasque æqualiter premat, dum interim emboli trudendo inferiorem pressionem adjuvant ac superiorem vincunt cedereque cogunt; cùm econtrà in casu præsentis, aër aquæ stagnanti incumbens hanc solus premat solusque vincat: quia superiora canalium seu fistularum orificia nullus aër aut pauculus circumstat, violenter expulsæ aquæ impetum sistere non valens.

Causa 6. &  
7. Phæn.

**CONCLUSIO IV.** Meliùs autem hunc aquæ saltum in recipiente amplo sphaerico, quàm sub angustiore campana successisse, ac difficillimè omnium intra tubum longiorem; id verò valdè mirum primò visum fuit. Equidem ea ratio quam superiùs ad Phænom. VI. prolixè dedimus, de aëre intra canalem E C (Fig. 7.) multùm elucidabat illius differentiaë causam. Illo tamen impedimento sublato, cùm nondum esset sublata omnis difficultas; ejus quæ